ad tuam et multorum salutem. Amen. Dilecte frater et Domine venerande sincera charitas maneat inter nos et mutua salutis solicitudo quam ex tuis literis agnoscens non mediocriter sum recreatus. Si te non dabitur frui post hac saltem ut in resurrectione justorum mutuis complexibus gaudeamus. Salutem precor piissimae conjugi tuae et aequum animum in tam longa viri sui charissimi exercitatione. Nam sane quoties ea modo recordor quae spectavi ipse in primo tragoediae istius actu totus colliquesco dolore. Nisi nigro ferro durior esses soli clamores adversariorum tam horrendi tam flammantes te comminuissent. Et subsistis adhuc nec ira Stygos ulla relicta est. Quae non frustrato spoliata resecuerit ictu. Illustrissimo comiti Christo, pectore, cujus pietas profligatum recollegit humanissime et rebus melioribus reservavit. Divina clementia refocillet animam eius, mulcet coelestibus bonis. Amen. Vale Doctor constantissime. Duisburgi 15 Julij 1562.

Te semper magni faciens,
Johannes Molanus.

43.)

[= Moll. a. 7. Nr. 121]

Pax Christi.

Dn. Cornelio Rhetio Licentiato.

Dilecte frater, valuimus hactenus Dei beneficio. Res nostrae sunt quales fuerunt hoc biennio, sub cruce gementes respiramus aliquando respicientes ad fidei perfectorem et ducem Jesum. Successum laboris speramus a Deo patre nostro, cui scimus acceptum esse nostrum qualecunque ministerium, quamvis nos viles homunculi sumus in quibus non sane multum inest mentis, quod sincere et ex animo confitemur. Nisi quod gloriamur in Deo maxime despicabiles omnium hominum sumus.

Non tamen dubitabimus viriliter agentes expe-
ctare illum, qui dixit: Non dissolvantur manus vestrae,
erit merces operi vestro. Mihi certe vel immori
tam sanctis conatibus et pertinaciter saxum volvere
exoptandum videtur, ne quum ab ineunte statim
adolescentia tam duram palaestram ingressus sim,
nunc tandem metam conspiciens deficiam aut me
ipso deterior fiam [illegible] prudentiam senis. Nostri
[illegible] nostros ardent quorundam erga nos
odia, fremunt quidam perire saepius. Alii quos [illegible]
nates oportebat esse restituendae rei novas rationes
imaginantur. Nos freti conscientia nostrae fidei
et veritatis juxta Fabianum illud: Ponimus haudquaquam
rumores ante salutem, imo et omnia. Nec fallant,
ut cum ignominia expellar, ut aerumnis succumbam,
juvabit hoc supremum vitae tempus in pistrino mole-
tem posuisse. Sed haec insuavia, valeant. Quandam disce-
dentes stipulatus sum demus operam ut fraterna
charitas maneat inter nos qui quamvis habemus
infirmitates et vitia nostra tamen in uno cor-
pore adsumus immortalis concordiae regeniti sumus.
Morosior sum ego in convictu propter laboris
assiduitatem, et irrequietas plurimarum molestias,
quibus videri possem ἐξαγριωθῆναι et fieri paulo
asperior, quam pro moribus antea te vita. Atque si
tibi asperitas agrestis odiosa visa est, aut siquid
fuit praeterea, quod offendit nemo minus clausas
veritati aures habet, valde patienter vellicantem
tem amicum ferre possum. Etenim in exercitiis poeni-
tentiae paulatim eo progressus sum, ut vere atque ironice
[illegible] sentiam extra patriam quandam lucem regeneratio-
nis (quia Christi est [illegible] ab hoc esse hoc expe-
ctandum, certe totus mihi dissolvi et redemptionem quotidie
avidius expeto. Jesus Christus, cujus peculium sumus retineat nos
in studio pietatis et rerum coelestium, usque ad diem gloriosi ad-
ventus sui, ut inveniamur et nos inter vasa misericordiae prae-
parata ad gloriam. Amen. 16. Julij 1562.